



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

623. An Decanus & Capitulum, dum collatores non sunt, impedire possint precistam, denegando illi possessionem, dum missio in possessionem ad illos spectat, si iis constet de injustitia & defectu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

ita Chok. Quòd si Ordinario negligente aut recusante Precista conferre, hic recurrit ad Vicarium Ordinarium, qui ignarus collationis ab Ordinario facta alicui, idem beneficium conferat Precista, & tertius quoque interim illud idem beneficium impetrat à Papa, præferendam à Vicario isto factam collationem, si contulit, uti Executor Apostolicus vigore precum, asserit Chok. pag. 72. eò quòd licet Vicarius non possit expedire ea, quæ sunt meræ gratiæ, potest tamen expedire, quæ sunt Iustitiæ & necessitatis, & sic supplere moram Ordinarium. Quòd si collator latitat, aut aliàs obster, quòd minus ei fiat insinuat precum, perinde erit, ac si facta fuisset; cum pro citato habetur, qui se occultat, vel impedit, ne possit citari, juxta *c. quoniam frequenter. ut lite contestat. c. 1. de foro competente.* Chok. pag. 78. Porro num mortuo ante collationem Imperatore Collatores adhuc conferre possint, & consequenter teneantur, ad hoc, inquam, responsum est supra.

Questio 623. An Decanus & Capitulum, dum Collatores non sunt, impedire possint Precistam, denegando illi possessionem (dum missio in possessionem ad illos spectat) si iis constet de injuria & defectu tituli, v. g. propter incompatibilitatem beneficiorum?

R^Espondet negativè Chok. pag. 79. hac ductus ratione, quòd imprimis, licet beneficium haberi non possit, nisi præviâ institutione canonicâ & legitimo titulo, possessio tamen potest transferri sine eo. ut Abb. in cap. literis, de restit. spoliat. cum, quòd beneficium obtineri nequeat absque titulo, id solum verum sit respectu juris, non verò respectu possessionis, quæ plus facti quam juris habet. Unde fit, ut exceptiones concernentes titulum non impediant immisionem in possessionem. Deinde quòd Precista hoc ipso, sive ex concessione precum Cæsarearum ei facta habet titulum coloratum, qui sufficit ad tollendam omnem intrusionem, juxta decis. Rotæ, quam citat, validisque satis est, ut Decanus & Capitulum adstringantur ad illius receptionem; cum illud non habeat nisi nudum installationis ministerium, & nequaquam cognitionem causæ, uti eam haberet, si haberet liberam collationem, adeoque posset se opponere & appellare, & interim conferre, ut Ruzæus *tr. de jure Regal. privilegio 6.* quem citat Chok. *ibid.* Proinde tenetur recipere Precistam, salvo jure cujuslibet; quia non spectat ad Capitulum cognoscere de viribus tituli, & titulus provisi non habetur in consideratione in nudo ministerio facti & possessionis, ut Philip. Prob. *tr. regal. q. 36.* citatur quoque ab eo, sed est hoc Executoris, qui juri tertii non derogat, & coram quo, si tertius opponat exceptionem, ejus est videre, num sit relevans, nec ne.

Questio 624. Quanam in illo indulto precum concessio Imperatori à Papa continetur clausula derogatoria eorum, quæ eidem indulto obistere possent?

R^Espondeo hæc sequentes. Primò derogat Papa Constitutionibus Apostolicis de non utendo gratis expectativis.

2. Secundò, literis expectativis concessis in P. Leuren, Fori Benef. Tom. II.

forma pauperum, juxta *c. si pauper. de præb. in 6.* sive mandatis de providendo pauperibus Clericis non habentibus beneficium; item literis de providendo personis illustribus aut graduatis, ita ut omnes hujusmodi literæ non obstant precibus Cæsareis, si contingat, illas concedi super talibus beneficiis, quò minus dictæ preces fortiantur suum effectum.

3. Tertiò, regulis cancellariæ quodocunque publicatis & publicandis, quibus expressè & speciatim derogari debet; quia per clausulam generalem derogatoriam: *non obstantibus constitutionibus Apostolicis*; non censetur derogatum nisi constitutionibus ordinariis, non extraordinariis, quales sunt Extravagantes & regulæ cancell. atque ita etiam derogatum regulæ undecimæ, quæ est revocatoria expectativarum, sive per quam Papa statim post assumptionem suam revocat omnes expectativas, non sortitas in aliqua parte effectum: ita ut hac regulâ non obstante, preces fortiantur suum effectum, etiam post obitum Papæ, qui eas Cæsari concessit Chok. pag. 87. Dubitat nihilominus Chok. *ibid.* num per istas generales clausulas in precibus contentas derogatum sit iis regulis Cancell. quæ ubique sunt in celebri apud omnes observantia; nimirum de annali, trienniali, de publicandis, de surrogandis, de infirmis &c. quæ judiciales sunt; & ait Gomef. in q. 6. *proem.* censere, dictas regulas notabiles ex stylo cancellariæ non censeri sublatas, non factâ expressâ & in individuo mentione earum.

4. Quartò, statutis & consuetudinibus aliarum Ecclesiarum etiam juramento & confirmatione Papæ roboratis; quibus quoque expressè erat opus derogari; & speciatim etiam derogatur consuetudini optandi (cujus consuetudinis optandi necessaria erat expressa & specialis derogatio, ut Garc. *p. 5. c. 1. n. 150.*) Chok. pag. 90.

5. Quintò, literis quibuscunque Apostolicis, non facientibus plenam & expressam de verbo ad verbum de eodem mentionem.

6. Sexto, ipsis Concordatis Germaniæ eorumque confirmationi, quatenus huic indulto adversantur. Unde patet, dubium non esse, habere has preces etiam locum in mensibus ordinariorum Collatorum.

7. Septimò, quibusvis aliis privilegiis, indultis & literis Apostolicis, indulto huic quomodocunque adversantibus, etiam motu proprio Papæ, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, etiam cum clausulis derogatoriis derogatoriis, & aliis insolitis concessis.

8. Ac denique decernitur, quidquid contra quâcunque auctoritate attentatum fuerit, irritum & inane; ita ferè Pirh. *n. 386.* & Wagn. *pag. 495.* pluribus de his Chok. *à pag. 86.* qui etiam *pag. 61.* refert, Papam in privilegio dato facultati artium Lovanienti velle, quòd hujus facultatis nominationes præferantur precibus Imperialibus; quod si verum, expressè ergo per hoc Papa derogavit precibus hisce; malè tamen ex hoc supposito inferitur, preces non habere locum in mensibus Ordinariorum; cum in his locum non habeant dictæ facultatis nominationes; cum tamen hæc præferantur nominationibus factis vi precum; nam, ut rectè Chok. *pag. 62.* in isto indulto nominandi concessio Lovanientibus, Papa expressè non vult eas locum habere in mensibus Ordinariorum, cujus contrarium statuit expressè in indulto precum; ergo ex eo, quòd